

## LACTANCE ?

## DE AVE PHOENICE (170 vers)

v.1 Est locus in primo felix oriente remotus,  
 2 qua patet aeterni maxima porta poli,  
 3 nec tamen aestivos hiemisve propinquus ad ortus,  
 4 sed qua Sol verno fundit ab axe diem.  
 5 Illic planities tractus diffundit apertos,  
 6 nec tumulus crescit nec cava vallis hiat,  
 7 sed nostros montes, quorum juga celsa putantur,  
 8 per bis sex ulnas imminet ille locus.  
 9 Hic Solis nemus est et consitus arbore multa  
 10 lucus perpetuae frondis honore virens.  
 11 Cum Phaethonteis flagrasset ab ignibus axis,  
 12 ille locus flammis inviolatus erat ;  
 13 et cum diluvium mersisset fluctibus orbem  
 14 Deucalioneas exsuperavit aquas.  
 15 Non huc exsanguis Morbi, non aegra Senectus  
 16 nec Mors crudelis nec Metus asper adest  
 17 nec Scelus infandum nec opum vesana Cupido  
 18 aut Ira aut ardens caedis amore Furor ;  
 19 Luctus acerbus abest et Egestas obsita pannis  
 20 et Curae insomnes et violenta Fames.  
 21 Non ibi tempestas nec vis furi horrida venti  
 22 nec gelido terram rore pruina tegit ;  
 23 nulla super campos tendit sua vellera nubes  
 24 nec cadit ex alto turbidus umor aquae.  
 25 Sed fons in medio, quem vivum nomine dicunt,  
 26 perspicuus, lenis, dulcibus uber aquis ;  
 27 qui semel erumpens per singula tempora mensum  
 28 duodeciens undis irrigat omne nemus.  
 29 Hic genus arboreum procero stipite surgens  
 30 non lapsura solo mitia poma gerit.  
 31 Hoc nemus, hos lucos avis incolit unica Phoenix,  
 32 unica, si vivit morte refecta sua.  
 33 Paret et obsequitur Phoebos memoranda satelles :  
 34 hoc Natura parens munus habere dedit.  
 35 Lutea cum primum surgens Aurora rubescit,  
 36 cum primum rosea sidera luce fugat,  
 37 ter quater illa pias immergit corpus in undas,  
 38 ter quater e vivo gurgite libat aquam.  
 39 Tollitur ac summo considit in arboris altae  
 40 vertice, quae totum despicit una nemus,  
 41 et conversa novos Phoebi nascentis ad ortus  
 42 exspectat radios et jubar exoriens.  
 43 Atque ubi Sol pepulit fulgentis limina portae  
 44 et primi emicuit luminis aura levis,  
 45 incipit illa sacri modulamina fundere cantus  
 46 et mira lucem voce ciere novam,  
 47 quam nec aedoniae voces nec tibia possit  
 48 musica Cirrheis adsimulare modis ;

49 sed neque olor moriens imitari posse putetur  
 50 nec Cylleneae fila canora lyrae.  
 51 Postquam Phoebus equos in aperta effudit Olympi  
 52 atque orbem totum protulit usque means,  
 53 illa ter alarum repetito verbere plaudit  
 54 igniferumque caput ter venerata silet.  
 55 Atque eadem celeres etiam discriminat horas  
 56 innarrabilibus nocte dieque sonis,  
 57 antistes luci nemorumque verenda sacerdos  
 58 et sola arcanis conscia, Phoebe, tuis.  
 59 Quae postquam vitae jam mille peregerit annos  
 60 ac sibi reddiderint tempora longa gravem,  
 61 ut reparet lapsum spatiis vergentibus aevum,  
 62 adsuetum nemoris dulce cubile fugit ;  
 63 cumque renascendi studio loca sancta reliquit,  
 64 tunc petit hunc orbem, Mors ubi regna tenet.  
 65 Derigit in Syriam celeres longaeva volatus,  
 66 Phoenicen nomen cui dedit ipsa vetus,  
 67 securosque petit deserta per avia lucos,  
 68 hic ubi per saltus silva remota latet.  
 69 Tum legit aereo sublimem vertice palmam,  
 70 quae Graium Phoenix ex ave nomen habet,  
 71 in quam nulla nocens animans prorepere possit,  
 72 lubricus aut serpens aut avis ulla rapax.  
 73 Tum ventos claudit pendentibus Aeolus antris,  
 74 ne violent flabris aera purpureum,  
 75 neu concreta Noto nubes per inania caeli  
 76 submoveat radios solis et obsit avi.  
 77 Construit inde sibi seu nidum sive sepulcrum :  
 78 nam perit ut vivat, se tamen ipsa creat.  
 79 Colligit huic sucos et odores divite silva,  
 80 quos legit Assyrius, quos opulentus Arabs,  
 81 quos aut Pygmaeae gentes aut India carpit  
 82 aut molli generat terra Sabaea sinu.  
 83 Cinnamon hic auramque procul spirantis amomi  
 84 congerit et mixto balsama cum folio.  
 85 Non casiae mitis nec olentis vimen acanthi  
 86 nec turis lacrimae guttaque pinguis abest.  
 87 His addit teneras nardi pubentis aristas  
 88 et sociat murrae vim, Panachaea, tuae.  
 89 Protinus instructo corpus mutabile nido  
 90 vitalique toro membra vieta locat.  
 91 Ore dehinc sucos membris circumque supraque  
 92 inicit exsequiis immoritura suis.  
 93 Tunc inter varios animam commendat odores,  
 94 depositi tanti nec timet illa fidem.  
 95 Interea corpus genitali morte peremptum  
 96 aestuat et flammam parturit ipse calor,  
 97 aetherioque procul de lumine concipit ignem :  
 98 flagrat et ambustum solvitur in cineres.  
 99 Quos velut in massam cineres umore coactos  
 100 conflat ; et effectum seminis instar habet.  
 101 Hinc animal primum sine membris fertur oriri,  
 102 sed fertur vermi lacteus esse color :  
 103 creverit immensum subito cum tempore certo  
 104 seque ovi teretis colligit in speciem,  
 105 inde reformatur quali fuit ante figura  
 106 et Phoenix ruptis pullulat exuviis :

107 ac velut agrestes, cum filo ad saxa tenentur,  
 108 mutari tineae papilione solent.  
 109 Non illi cibus est nostro consuetus in orbe  
 110 nec cuiquam implumem pascere cura subest ;  
 111 ambrosios libat caelesti nectare rores,  
 112 stellifero tenues qui cecidere polo.  
 113 Hos legit, his alitur mediis in odoribus ales,  
 114 donec maturam proferat effigiem.  
 115 Ast ubi primaeva coepit florere juventa,  
 116 evolat ad patrias jam reditura domus.  
 117 Ante tamen, proprio quicquid de corpore restat,  
 118 ossaque vel cineres exuviasque suas,  
 119 unguine balsameo murraque et ture soluto  
 120 condit et in formam conglobat ore pio.  
 121 Quam pedibus gestans contendit Solis ad urbem  
 122 inque ara residens ponit in aede sacra.  
 123 Mirandam sese praestat praebetque videnti :  
 124 tantus avi decor est, tantus abundat honor.  
 125 Principio color est qualis sub sidere caeli  
 126 mitia quem corio punica grana tegunt ;  
 127 qualis inest foliis, quae fert agreste papaver,  
 128 cum pandit vestes Flora rubente polo.  
 129 Hoc umeri pectusque decens velamine fulget,  
 130 hoc caput, hoc cervix summaque terga nitent ;  
 131 caudaque porrigitur fulvo distincta metallo,  
 132 in cuius maculis purpura mixta rubet ;  
 133 alarum pennas lux pingit discolor, Iris  
 134 pingere ceu nubes desuper acta solet ;  
 135 albicat insignis mixto viridante smaragdo  
 136 et puro cornu gemmea cuspis hiat ;  
 137 ingentes oculos credas geminos hyacinthos,  
 138 quorum de medio lucida flamma micat ;  
 139 aptata est toto capiti radiata corona  
 140 Phoebai referens verticis alta decus ;  
 141 crura tegunt squamae fulvo distincta metallo,  
 142 ast ungues roseo tingit honore color.  
 143 Effigies inter pavonis mixta figuram  
 144 cernitur et pictam Phasidis inter avem.  
 145 Magnitiem terris Arabum quae gignitur ales  
 146 vix aequare potest, seu fera seu sit avis.  
 147 Non tamen est tarda, ut volucres quae corpore magno  
 148 incessus pigros per grave pondus habent,  
 149 sed levis ac velox, regali plena decore :  
 150 talis in adspectu se tenet usque hominum.  
 151 Huc venit Aegyptus tanti ad miracula visus  
 152 et raram volucrem turba salutatur ovans.  
 153 Protinus exsculpunt sacrato in marmore formam  
 154 et titulo signant remque diemque novo.  
 155 Contrahit in coetum sese genus omne volantum,  
 156 nec praedae memor est ulla nec ulla metus.  
 157 Alituum stipata choro volat illa per altum  
 158 turbaque prosequitur munere laeta pio.  
 159 Sed postquam puri pervenit ad aetheris auras,  
 160 mox redit ; illa suis conditur inde locis.  
 161 A fortunatae sortis finisque volucrem,  
 162 cui de se nasci praestitit ipse deus !  
 163 Femina vel mas haec, seu neutrum, seu sit utrumque,  
 164 felix quae veneris foedera nulla colit :

165 mors illi venus est, sola est in morte voluptas :  
166 ut possit nasci, appetit ante mori.  
167 Ipsa sibi proles, suus est pater et suus heres,  
168 nutrix ipsa sui, semper alumna sibi -  
169 ipsa quidem, sed non eadem quia et ipsa nec ipsa est,  
170 aeternam vitam mortis adeptam bono.